



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Dispvatio I. De essentia ac definittione sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

eius. Quia potius, quod omnibus sacramentis conveniat, illa tria significare, scilicet, præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, & futuram gloriam: asseritur quidem à D. Tho. non tamen probatur: sed (vt Caiet. dixit) ex communi modo loquendi omnium, vt clarum sumitur: quod vt verum sit, necessario intelligendum est de sacramentis nouæ legis, nam vetera, licet veram rationem sacramenti participarent) nec præsentem gratiam, nec futuram gloriam semper significarunt, quæ omnia in sequenti disputatione latius disputabuntur.

DISPUTATIO I.

De essentia et definitione sacramenti.



Ogimur doctrinæ ordinem aliquantulum inuerrere prius, quid sit sacramentum, quam an sit inquirendo, (sicut D. Tho. fecit,) quia antequam sacramenta esse ostendamus, necesse est exacte intelligere, quid nomine sacramenti significetur: significatio autem huius vocis tam est coniuncta cum proprietate & essentia ipsius rei, vt sine huius cognitione non possit intelligi, & ab omni alia æquiuoca, vel analoga significatione separari. Dicemus ergo prius de quidditate sacramenti, quam in hac disputatione per rationem metaphysicam generis & differentie: in sequenti vero per rationem quasi physicam, scilicet materie & formæ explanabimus.

SECTIO I.

Vtrum sacramentum sit sacrum signum aliquam sanctificationem homini conferens, vel significans.

Non inquiri, an sit hæc propria & exacta definitio sacramenti: prius enim patulacim explicabimus omnia, quæ sacramentis conueniunt, & ita tandem in fine disputationis integram definitionem complebimus. Ratio vero dubitandi in questione proposita est, quia, neque omnia signa sacra sanctificationem hominis significantia sunt sacramenta, neque è contrario, omnia sacramenta videntur sanctificationem significare. Prior pars constat, quia transitus maris rubri significauit sanctitatem per baptismum conferendam, vt colligitur ex 1. ad Corin. 10. & similiter manna significauit sanctitatem dandam per Eucharistiam, & tamen illa non fuere vera sacramenta. Deinde, quod difficilius est, sacrificium, vt sacrificium est, non est sacramentum, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 101. art. 4. & tamen habet totam illam sacramenti significationem: nam, vt Aug. ait, 10. de Ciuit. Dei, ca. 5. Sacrificium visibile, inuisibile sacrificij signum est, & de nostro sacrificio constat cruentum sacrificium Christi representare, iuxta illud, Hoc facite in meam commemorationem, idemque de veteribus sacrificijs tradit D. Tho. late supra in 1. 2. loco citato, & videri potest Sanderus libr. 1. de visibi. Monarch. c. 5. Vnde sit, sacrificium, vt sacrificium, significare rem sacram, quatenus nos significat, quia significat passionem Christi, qua sanctificati sumus. Posterior pars probatur, quia esus agni Paschalis fuit sacramentum, & non conferebat, nec significabat sanctificationem hominis: atque idem argumentum fieri potest de multis aliis ceremoniis, seu sacramentis veteris legis.

Vt respondeamus huic questioni, aduertendum est, sacramentum, vt ex ipso voce constat, aliquid sacrum esse: cum autem ex communi vsu supponamus, sacramentum hic accipi pro signo, consequenter fit, debere sacramentum esse signum sacrum, & religiosum: possunt autem in omni signo duo considerari: scilicet res significans, & significatio seu habitudo ad rem significatam: & ex utroque capite potest signum esse sacrum, scilicet, vel quia res, quæ significat, est sacra & religiosa & pertinet aliquo modo, ad cultum Dei, & animæ sanctitatem: vel significatio ipsa sacra est, scilicet, quia est de re sacra, & ad re

Franc. Suarez Tom. 3.

sacram terminatur, quomodo manna, vel transitus maris rubri, quamuis ipse non essent res sacræ, signa sacra propter rem significatam dici possunt, vt bene notauit Cano relect. de sacrament. p. 1. ad 3.

Dico ergo primo. Sacramentum, prout de illo nunc agimus, debere esse signum sacrum ex parte rei significantis, id est, res aliqua vel ceremonia ad cultum Dei ordinata seu instituta. Ita significant cum Magist. in 4. dist. 1. Bonauent. Scotus, & Gabr. qu. 1. Caiet. hic art. 2. expressius vero id docet D. Tho. 1. 2. q. 101. art. 4. & q. 102. art. 5. Et probatur primo inductione, nam in lege veteri omnia proprie sacramenta erant huiusmodi vt circumcisio, per quam homines initiabatur, & in Dei populo consignabantur, Genes. 17. Item consecratio sacerdotum, per quam cultui diuino dedicabantur, & ad hoc munus quodammodo sanctificabantur. Exo. 28. Leuit. 8. Agnus

item Paschalis, si concedamus cum D. Thom. fuisse sacramentum, idem habuit: quamuis enim non desint, qui negent fuisse sacramentum, asserentes solum fuisse sacrificium, probabile autem est vtramque rationem habuisse, tanquam perfectam figuram nostræ Eucharistia: maciabatur enim in cultu Dei, & vt ficerat sacrificiū, & comedeatur certo quodam ritu lege præscripto, & tanquam cibus facer Deo dicatus, & vt sic dici potest fuisse sacramentum, & sub vtraque ratione erat ceremonia illa religiosa, & per illam disponebantur homines ad sanctificationem aliquam in illa lege obtinendam, vt D. Tho. notauit dict. q. 102. art. 5. & Cano supra ad 4. Præterea idem intueri licet in lege gratiæ, baptismus enim Lauacrum regenerationis, dicitur ad Titum 3. & tanquam prima fidei Christianæ professio, & vnica ianua Ecclesiæ & regni celorum præcipitur, Ioann. 3. & Matt. vltim. at de cæteris sacramentis idem facile constat. Solum de matrimonio posset quis dubitare: quia non videtur esse ceremonia sacra, sed contrarietatis quidam humanus ac moralis. Sed, licet ex se, & prout est à sola voluntate humana, vt à principali causa, tantum hoc habeat, tamen prout à Christo eleuatum est, & institutum ad dandam coniugibus sanctificationem suo statui necessariam, iam non tantum est civilis contractus, sed sacra ceremonia: quia iam non tantum efficit coniuges, sed quantum in ipso est efficit sanctos coniuges, nec solum efficit vinculum mutue obligationis, sed etiam confert vinculum mutue charitatis, & ideo de illo dixit Paulus ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est: premisserat autem. Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam, significans, in lege gratiæ vult illud iam esse sacrum & religiosum gratia & charitate sanctificatum, vt Conc. Trid. docuit. sess. 24. Denique de his sacramentis recte intelligitur illud Pauli 1. ad Corin. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, id est, sacramentorum, vt Amb. legit, & alij intelligunt, quæ sacramenta, quia res sacræ sunt, & ad cultum Dei pertinentes, per Christi ministros dispensanda dicuntur, atque tantum illis danda, quibus oportet, vt Chrys. exposuit hom. 10. quem D. Th. Anf. imitantur. Secundo probatur conclusio ex Patribus, Aug. epist. 23. dicit, consecrari homines Deo per sacramenta, idem q. 84. in Leuit. Ambr. libr. de mysterijs dicit, initiari homines per sacramenta, idem Cypr. ser. de bap. de baptis. Christi, & Hilar. in id Ps. 131. Et filii eorum vique in sæculum sedebunt super sedem tuam, dicit, hos filios esse animas fidelium sacramentis Ecclesiæ sanctificatas. Denique ostendemus inferius totum sacramentorum negotium ad cultum Dei religiosum ordinari, vt nimirum homines per hæc signa in vnum nomen religionis conueniant, in quæ, & ipsi sanctificantur, & Deum profiteantur suæ sanctificationis authorem. Tertio ratione, nam quod in Ecclesia sunt ceremonie aliquæ ordinatæ ad sanctificationem hominum colentium Deum, constat

Sacramentum debet esse signum sacrum ex parte rei significantis, Mag. d. 1. Bonauent. Scotus. Gab. q. 1. D. Thom. 1. Probatur inductione.

Agni Paschalis ritum, & sacrificium, & sacramentum fuisse probabile est

Matrimonium etiam esse ceremoniam sacramentum probatur.

Locus Pauli ad Cor. ex. plicatur. Ambros.

Chrysost. 2. Probatur conclusio ex patribus. August. Ambros. Cyprian. Equar.

3. Probatur ratio.



Diuina pro- uidentia ho- minum na- tura se ac- commodat.

Sacramenti esse aliqui d- sacrum, vel exp[re]ssio- nis notatio- ne cognosci- tur.

D. Thom. explicatur.

Sacramenti debet esse si- gnum sacri- ex parte rei significati.

Alex. Papa. Aug[ustinus].

Bernard.

Dionys.

Basilica.

Martialis.

Greg. Nisse.

ex usu, qui ortus est ex diuina prouidentia, quae hominum naturae accommodatur, & eorum utilitati confult: nam, quia homo est corporeus, per uisibiles, & corporeas ceremonias conuenienter ad suam sanctificationem, & cultum disponitur, ut latius scilicet 3. dicitur in summo. Quod uero sacramenta sub hoc ceremoniarum genere continentur, non aliunde, quam ex usu ipsius uocis, petendum est: qui uisus satis est in superioribus demonstratus, & in hoc sensu potest hoc confirmari ex notatione ipsius nominis, Sacramentum, nam sicut uelamentum dicitur, quo uelimur, ornamentum, quo ornatur, ita sacramentum satis conuenienter dicitur, quo sacramur, seu quo imitiamur: hanc enim significationem habet etiam uox Graeca, Mysterium, quae, ut diximus, Latina uocis, Sacramentum, respondet. Quamquam enim Soto hic hanc notationem uocis sacramenti reiciat, existimans esse sententiam D. Tho. hic ar. 1. ad 2. tamen reuera est ualde probabilis & consentanea sanctis Patribus, & ualde apta ad explicandum munus, & institutionem nostrorum sacramentorum. Nec D. Tho. in dicta colu. illam absolute negat, sed, ut ibi exposui, docet, sacramentum ex sua ratione, uel etymologia non dicere habitudinem causae efficientis ad ueram animae sanctitatem, & in hoc solum ponit differentiam inter sacramentum, & medicamentum: tamen cum his, quae ibi dicit, & cum alijs exemplis à nobis adductis, recte quadrat, ut possit dicere habitudinem causae quae formalis conferentis aliquam sanctitatem, saltem per extrinsecam denominationem, quomodo sanctificari dicitur, quicquid cultui diuino dicatur, ut expressius docuit idem D. Tho. 1. 2. in locis citatis.

Dico secundo. De ratione sacramenti est, ut illa ceremonia sacra, quae sacramentum dicitur, sit etiam signum sacrum ex parte significationis, seu rei significatae, uel ut rem sacram significet. Haec assertio est D. Tho. hic & omnium, qui hac ratione describunt, sacramentum debere esse signum rei sacrae, & probatur. Primo ex scriptura, hoc enim modo Gen. 17. Circumcisio dicitur Signum foederis inter Deum, & homines, & ad Rom. 4. additur fuisse Signaculum iustitiae fidei. Similiter ad Rom. 6. dicitur, Sepeliri in Christo per baptismum, non re ipsa, sed representatione, & ad Ephes. 5. matrimonium dicitur Signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, & Matth. 26. & 1. ad Cor. 11. Mysterium Christi dicitur, commemoratio passionis Christi. Secundo probatur ex Patribus, qui in hac significatione utuntur hac uoce, Sacramentum, ut patet ex Alex. Papa epist. 1. c. 4. optime Aug. epist. 5. Logum, inquit, est conuenienter disputare de uarietate signorum, quae cum ad res sacras pertinent, sacramenta appellantur. Idem li. 2. de doct. Christi. c. 3. & li. 4. de catechizandis rudib. ca. 26. hac ratione sacramenta uocat uerba uisibilia rerum diuinarum, & 19. contra Faust. c. 16. uocat et signacula, & epi. 118. c. 1. dicit sacramenta nouae legis esse signa praestantissima. Sic etiam Ber. in serm. de Coena Do. sacramentum dicit esse sacrum signum, atque in eodem sensu Graeci Patres, sacramenta uocant mysteria, ut supra diximus, quia in significatione sua res sacram atque diuinam habent reconditam: unde à Dionys. c. 1. de Eccle. Hierar. uocantur sacratissima signa, eorumque sacram significationem toto illo libro exponit, & eodem fere modo loquitur, de Coelesti Hiera. Basil. etiam in exhortatione ad baptismum seu homil. 13. ex uarijs, uocat signa mystica, & similiter loquitur in epistola ad Amphilochium can. 72. & 80. Martialis etiam epist. ad Tolosanos, c. 4. uocat, mysteria sacramentorum, per quae Deo coniungimur: quibus uerbis utrumque indicat, scilicet, sacramenta, & esse sacras ceremonias, & rem sacram significare, scilicet, coniunctionem cum Deo. Quomodo Greg. Nyss. oratio. de baptis. dicit externam ablutionem esse signum internae, & ideo esse sacramentum, quod eleganter profertur Cy-

ril. Hier. Cateches. 3. illuminatorum, ubi sacramentum signaculum appellat. Terio probatur ratione, quae primo (sicut saepe dictum est) sumenda est ex usu, & impositione uocis accommodatione huius uocis, sacramentum. Deinde hac posteriori assertio probatur potest ex praecedenti, quia, si sacramentum esse debet ceremonia sacra & religiosa, non debet esse signum rei prophanae, & uulgaris: esset enim hic abusus sacrarum ceremoniarum: ergo, si aliquid significare debet, ut sacramentum sit, necesse est, ut illud sit aliquid sacrum: quin potius ostendemus statim, necesse esse, ut illud sit maxime sacrum, atque reconditum, ut ea ratione possint sacramenta distingui à multis ceremoniis sacris, quae sacramenta non sunt.

Ad rationem ergo dubitandi in principio propositam facilis est ex dictis responso: ad priorem enim partem concedimus multa esse signa rerum sacrarum, quae non sunt sacramenta, praeterquam si non sint ceremonia sacra, ut sunt multa exempla ibi adducta. Ad posteriorem uero partem negatur esse uel fuisse unquam aliquid sacramentum, quod non contulerit, uel significauerit aliquam sanctitatem, aut internam, & perfectam, aut externam saltem & legalem, qualis per externas ceremonias conferri potest; sicut dictum est de Agno Paschali. Quod si in lege ueteri fuerunt aliquae ceremoniae, quibus haec ratio signi & ceremoniae sacrae non conueniebat, illae non fuerunt sacramenta, sed obseruantiae uel aliquid huiusmodi, ut D. Tho. docet in praedictis locis ex 1. 2. citatis.

Dubitatio uero, quae in priori parte illius difficultatis indicatur, aliquos coegit, ut dicerent, quamuis non omne sacramentum sit sacrificium, omne tamen sacrificium esse sacramentum. Ita loquitur Sanderus lib. 1. de Viis Monarch. c. 5. fauet Aug. lib. 10. de Ciuitate, c. 20. dicens omnia sacrificia uetera fuisse passionis Christi sacramenta. Sed ibi late uisitur uoce Sacramentum, prout dicitur de quouis sacro signo, tamen loquendo proprie de sacramento, ut neque loquimur, differt in ratione sua formalis à sacrificio, in actione autem seu materiali possunt interdum conuenire, sicut in lege gratiae factum est in mysterio Eucharistiae, non tamen semper, quia, neque omne sacramentum est sacrificium, ut de fex sacramentis legis nouae constat, & in lege ueteri multa fuerunt sacrificia quae non erant sacramenta, ut D. Tho. docet 1. 2. q. 102. art. 3. & 5. Unde, quod Canus praedicta relectione par. 1. ad 2. dicit, sacrificium quod offertur Deo, tantum in cultum, & recognitionem dominij non esse sacramentum, quod uero offertur ut expiationem peccati esse sacramentum, non probatur: quia si formaliter loquamur de utroque uel tale est, in neutro ratio sacrificij est eadem cum ratione sacramenti, uel de conuerso: si autem loquamur materialiter, utraque ratio sacrificij potest coniungi eum ratione sacramenti, ut in Eucharistia uideri licet: & utraque etiam potest à ratione sacramenti separari, nam sicut potest institui sacrificium honorarium, uel in gratiarum actionem, quod non sit sacramentum, ita etiam potest institui in expiationem peccati: nihil enim ueraciter, neque est ulla necessitas utramque rationem coniungendi, quin potest existimo, multa fuisse in ueteri lege sacrificia pro peccato, quae non erant sacramenta, ut D. Tho. loco citato sentit, ex cuius doctrina sumenda est uera responsio ad difficultatem propositam, quam breuiter attingam. Dicendum est ergo, sacrificium quidem, & sacramentum conuenire in ratione signi sacrae, tam ex parte ceremoniae, quia utrumque esse debet ceremonia religiosa, quam ex parte rei significatae, quia in utroque esse debet res sacra, differre tamen in re significante, quia sacrificium continet supremum cultum Dei, id est, immediate refertur & instituitur ad tribuendum cultum Deo, quocumque titulo religionis, uel iustitiae tribuatur: sacramentum uero immediate refertur ad ipsos cultores Dei, quos

Cyrollus

Ad rationem dub. resp. ubi.

In lege ueteri non omnes ceremoniae obtinuerunt rationem sacramenti.

Nec omnia sacramenta est sacrificium, ut neque loquimur.

Differt enim inter sacrificium & sacramentum.

& familia traduntur de Eucharistia Ioannis 6. Lucæ 22.1. ad Corinth. 11. atque ita Ecclesia de illo mysterio, inquit, O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futurae gloriae nobis pignus datur. Et de matrimonio aliquid simile indicatur ad Ephes. 5. de ceteris vero sacramentis, non sunt tam expressa testimonia, tamen eadem doctrina in eis locum habet, quia omnia habent vim ex passione Christi, & illius nomine ac virtute conferuntur, omnia etiam nobis conferunt spem gloriae per gratiam: & ideo in omnibus habet locum illa triplex significatio gratiae, gloriae, & Christi utriusque auctoris, quae quia per modum vnius sit in ordine ad nostram sanctificationem, ideo haec absolute dicitur esse significatio horum sacramentorum. Solum est observanda differentia, inter Eucharistiam, quae est sacramentum permanens, habens suam significationem ante usum, & cetera, quae essentialiter in usu consistunt: nam haec primo ac proxime significant, ac conferunt sanctificationem animae, propter quam immediate sunt instituta, & ita omnia verba, quae in illis dicuntur hoc maxime exprimunt, at vero sacramentum Eucharistiae, quod est permanens, proxime & immediate significat ipsum Christum: nam ipse est panis, qui de caelo descendit, quique per verba huius sacramenti immediate conficitur, ac significatur, & similiter sub speciebus sacramentalibus immediate continetur & significatur, tamē representatur per modum cibi, & consequenter cum ordine ad sanctificationem nostram, quam, & confert, & expressius significat, quando ad usum applicabitur, iuxta illud. Qui manducat hunc panem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sic igitur omnibus sacramentis commune est, ut sanctificationem nostram significant, propter quod omnia dicuntur esse signa demonstratiua gratiae praesentis, scilicet quantum est de se, nisi ex parte suscipientis adit impedimentum, & ut omnibus conveniat, intelligendum est, quando applicantur ad usum: nam Eucharistia ante usum non significat gratiam praesentem, nisi velimus dicere, significare gratiam substantialem, quae est Christus ipse, vel gratuitū effectū ut loquitur Scot. Okam & alij, in princ. 4. quod parum refert, cum de re constat. Dicuntur etiam haec sacramenta esse signa commemoratiua, respectu passionis, & prognostica, respectu gloriae, quae omnia habent, ut recte D. Thom. dixit, sine aequivocatione, vel ambiguitate aliter, quia ex his omnibus, quasi completur vna integra significatio nostrae sanctificationis perfectae.

Significatio gratia gloria. Chr. fit. est significatio trium per modum vnius. Differentia inter Eucharistia & cetera sacramenta quia cetera immediate gratia significat & tri buunt, at Eucharistia mediate.

Omnino omnia sacramenta in usu sunt signa demonstratiua gratiae praesentis quantum est de se.

Ex quibus dicitur sacramentorum significatio sine aequivocatione completur. 1. Sententia. Cano.

2. Sententia.

Magist. 4. Hugo.

August.

Iam vero explicandum superest, an hoc, quod nostris sacramentis convenit, sit de ratione sacramenti ut sic. Prima sententia negat, de ratione sacramenti esse, ut vel conferat, vel significet veram, ac perfectam sanctitatem, sed vel hanc, vel quamcumque aliam, perfectam seu legalem. Ita iudicat Cano dict. relect. de sacram. p. 1. circa fin. quamvis aliis locis eiusdem relectionis aliter loqui videtur. Fundamentum esse potest, quia de ratione sacramenti solum est, ut significet eam sanctitatem, quam conferre potest, sed non est de ratione sacramenti, ut veram sanctitatem conferat, ut patet in multis sacramentis veteribus: ergo neque etiam est de ratione sacramenti idem significare.

Secunda sententia in hac quaest. esse potest, de ratione sacramenti esse, ut conferat, & significet veram sanctitatem, ita sentiunt Magist. in 4. d. 1. & Hugo Victori. in sum. sent. trac. 4. c. 1. & 1. lib. de sacram. p. 9. cap. 1. qui in definitione sacramenti ponunt, quod sit visibilis forma invisibilis gratiae, cuius causa existat: ita exponentes Aug. 10. de Tri. cap. 1. quibus fauet idem August. q. 84. in Leuit. dicens, totum fructum visibilium sacramentorum in invisibili gratia positum esse. & 19. contra Faust. c. 11. dicens, virtutem, sa-

cramentorum inenarrabiliter valere plurimum. Fa- uet etiam definitio sacramenti, quae ex Gregor. refer- tur in c. multi 1. q. 1. reperitur autem apud Irido. lib. 6. Etym. c. 14. & Rabban. lib. 1. de instit. cleric. c. Rabban. 24. scilicet sacramenta dicuntur, quia sub tegumen- to corporalium rerum diuina virtus secretius salu- tem operatur, vnde à sacris virtutibus, vel sacris, sacramenta dicuntur. Ratio autem huius sententiae esse potest, quia sacramentum solum habet signifi- care eam sanctitatem, quam confert: significat enim ut signum practicum, & quasi in actu exercitio san- ctificationem, quae per ipsum, vel sub ipso sit, non n. potest aliter recte distingui sacramentum ab aliis signis, quae quasi speculatiue eandem sanctificatio- nem significant, sed de ratione sacramenti est, ut significet hoc modo veram, atque interiorē sanctifi- cationem: ergo, ut illam etiam conferat. Quod si obicitur, quia antiqua sacramenta non conferebant veram, & internam sanctificationem: dupliciter re- spondent auctores huius sententiae. Primo negando assumptionem: Hugo enim existimat etiam vetera sacramenta contulisse gratiam, quam significabant, quem sequitur Bonau. in 4. d. ar. 1. q. 5. Alij vero re- spondent concedendo assumptionem, & negando, ve- tera sacramenta fuisse vere & proprie sacramenta, & vniuocae cum nostris, quod videtur sentire Magi- ster, quem Dn. Thom. secutus est in 4. d. 1. quaest. 1. art. 1. quaest. 3. ad 5.

Tertia sententia esse potest, de ratione quidem sacramenti esse, ut significet sanctitatem, non vero, ut aliquam sanctitatem conferat, neque perfectam, neque imperfectam, quae videtur esse communis opinio discipulorum D. Thomae: ut significat hic Soto & Ledes. quia D. Thom. in his articulis, solum significationem requirit ad sacramentum, non vero sanctificationem.

Dico tamen primo. Quamuis non sit de ratione sacramenti, ut conferat interiorē animae sanctita- tem, tamen ex parte materiae, seu rei impositae ad significandum de ratione illius esse, ut sit ceremonia instituta ad conferendam homini aliquam sanctifi- cationem. Prior pars sufficienter mihi probari vi- detur argumento illo ex veteribus sacramentis de- sumpto, quae, ut suppono ex dicendis infra & qu. 62. gratiam ex opere operato non conferebant, neque oppositum potest aliqua probabilitate affirmari, excepta circumscriptione, neque Hugo, aut Bonauen- tura quoad hoc, in re videntur dissentire: nam vi- dentur magis loqui de gratia ex opere operantis, quam ex opere operato, quae tamen gratia, nihil re- fert ad rationem sacramenti: communis enim est omnibus operibus meritorijs, vnde non signifi- catur per sacramentum, ut sacramentum est, id est, ra- tione institutionis eius, sed ut opus meritorium est ad eum modum, quo causa potest suum effectum significare. Immerito autem negatur, illa sacramen- ta fuisse simpliciter atque vniuocae sacramenta. Pri- mo, quia Sancti Patres ita de illis loquuntur, prefer- tim August. 19. cont. Faust. cap. 11. comparans sacra- menta noua cum veteribus, dicit nostra perfectio- ra, in comparatione autem supponit vtraque esse vera sacramenta, deinde generalem regulam statuit, non posse homines in aliquid nomen religionis congregari, nisi aliquo visibilium sacramentorum consortio: sub quo principio subsumere possumus, in lege veteri fuisse veram religionem diuinam & supernaturalem, & modo hominibus accommoda- to: cur ergo negabimus fuisse in illa vera sacramen- ta? Praeterea, in illis sacramentis continebantur & occultabantur supernaturalia mysteria: non enim instituta erant solum propter illud visibile, quod in eis prospiciebatur, sed propter altiora mysteria: sed ubi est vera ratio mysterij, potest esse vera ratio sa- cramenti, ut ex dictis patet: ergo. Tandem illa erant vera signa sub quo genere sacramentum constitui- tur, ut

Gregor. Iridor. lib. 6. Etym. c. 14. & Rabban. lib. 1. de instit. cleric. c. Rabban. 24.

Fundamen- tum huius sententiae.

Obicitur.

Responsio.

Bonauen. Responsio 2.

3. Sententia.

In sacramen- to requiritur ex parte ma- teriae, ut sit ceremonia ad conferen- dam aliquam sanctifi- cationem i. sta- tuta.

Antiqua cu- nouis sacra- mentis vniu- uocae conue- nit proba- tum August.

Obiectio. tur, vt diximus, & nulla est sufficiens ratio analogie. Dices, esse analogiam, quia illa sacramenta erant signa nostrorum sacramentorum, atque ita habuisse rationem sacramenti per ordinem ad nostra, in quo consistit ratio analogie. Respondetur in primis, non omnia illa sacramenta significasse nostra sacramenta, sed interdum significasse alia mysteria, vel effectus nostrorum sacramentorum, quod non est satis ad analogiam. Deinde etiam quatenus significabant nostra sacramenta, erant vniuocae sacramenta cum illis, quia sicut datur signum rei, ita potest dari signum signi, quod tam verum signum est, sicut signum ipsius rei, quia non accipit rationem signi ex habitudine ad aliud signum: quatenus significatum est: sicut imago imaginis tam vera imago est: quam imago prototypi, & nostrum sacrificium perfecte ac vniuocae sacrificium est, quamuis sit imago sacrificij, & similiter sacrificia vetera, quamuis signa essent, vel nostri sacrificij inuenti: vel sacrificij cruenti Christi: nihilominus erant simpliciter ac vniuocae sacrificia. Vnde tandem confirmatur: nam si in veteri lege erant proprie ac vniuocae sacrificia, cur non essent sacramenta? Cum ergo vera ratio sacramenti in illis seruetur, & illa veram sanctitatem non contulerint, non potest hoc esse de ratione sacramenti vt sic.

Esse signum signi non solum in uocacionem. *Cisare veram sanctitatem non est de ratione sacramenti.* *Esse signum signi non solum in uocacionem.* *Cisare veram sanctitatem non est de ratione sacramenti.*

Dico secundo, de ratione sacramenti esse, vt conferat aliquam sanctificationem saltem imperfectam. Hec conclusio fere probata est in sectione precedenti, & colligi potest facta inductione in omnibus veris sacramentis, quae haecenus fuerunt instituta: nam de sacramentis legis nouae constat sanctificationem conferre, de veteribus id probat atque explicat D. Thom. in 4. distin. art. 5. quatuordecima secunda & tertia, & est per se manifestum ex institutione sacramentorum. De tempore autem legis naturae solum nobis constat de vno sacramento, quod in remedium originalis peccati tunc erat: sed nos non loquimur de sacramentis, nisi prout haecenus fuerunt in usu, neque aliunde eorum rationem colligere possumus, praesertim cum sunt res quaedam artificiales, quae totum suum esse habent ab institutione. Praeterea, quia supra ostensum est sacramentum debere esse ceremoniam aliquam ad cultum Dei ordinatam, quae in hoc differt a sacrificio, quod non immediate refertur ad Deum, sed ad cultores Dei, vt ex usu omnium constat: ergo de ratione sacramenti est, vt per ipsum conferatur aliqua sanctificatio saltem imperfecta cultoribus Dei. Denique hanc conclusionem confirmant omnia, quae in precedenti sectione, assertionem prima adduximus.

De oratione sacramenti est veram sanctificationem solum significare.

Probat 1. *August.* *Concil. Florent.* Dico tertio de ratione sacramenti esse, vt conferendo sanctitatem aliquam significet veram animae sanctitatem. Itaque, si haec interna sanctitas per ipsum sacramentum vel in ipso conferatur, per illud etiam significatur, de quo nullus dubitat: si vero solum conferat legalem & imperfectam sanctitatem, nihilominus, vt verum sacramentum sit, necesse est, vt aliquid altius, ac diuinius, interiore scilicet sanctificationem significet. Hanc assertionem sumo ex D. Thom. artic. 2. ad 3. dicente, rationem sacramenti in hoc compleri, quod humanae sanctitatis perfectionem significet: Idemque affirmat inferius. quae 1. 61. art. 3. sentit etiam August. 19. contr. Faust. cap. 16. dicens, sacramentum esse donum temporale, significare vero donum aeternum. Et probatur primo inductione, & quoniam de sacramentis nouae legis, & de circumcissione, & de sacramento legis naturae, quod erat in remedium originalis peccati, nulla est controuersia, de ceteris sacramentis veteribus, in vniuersum probatur ex Concil. Florent. in literis Vnionis, vbi sacramenta vetera vocat simpliciter sacramenta, quamuis gratiam non conferrent, quia significabant gratiam per Christum dan-

dam. Vnde Dionys. c. 5. de Eccles. Hierarchia, p. 3. dicit legale sacerdotium & sacramentum: sacerdotium nostrum nostraque sacramenta figurasse idem sentit Aug. in expositione Psal. 76. in principio, vbi inter alia dicit: Sacramentum regni caelorum fuisse velatum in veteri testamento, quod plenitudine temporis reuelaretur in nouo, & infra dicit, sacramenta fuisse omnibus communia, non tamen gratiam, quae est virtus sacramentorum, & adducit testimonium Pauli 1. ad Corinth. 10. Bibebant autem de spirituali conseruante eos petra: petra autem erat Christus. Facit etiam, quod ibidem generatim Paulus ait. Omnia in figura contingebant illis. Posset etiam hoc in specie ostendi discurrendo per singula illius legis sacramenta: sed quia onerosum hoc esset, & praeter nostrum institutum, legi potest D. Th. 1. 2. q. 102. ar. 1. Secundo probatur eadem assertio, quia in lege noua multae sunt caeremoniae sacrae ad aliquam sanctificationem fidelium instituta, quae sacramenta non sunt, & tamen non possunt alia ratione conuenienti excludi, nisi quia non habent praedictam significationem: est ergo illa significatio de ratione sacramenti Antecedens declaratur varijs exemplis. Primo, prima tonsura, caeremonia sacra est, per quam incipit homo dicari cultui diuino, vnde aliquam sanctificationem confert & significat: tamen non est sacramentum, quia non significat gratiam. Secundo: Aqua lustralis est etiam caeremonia sacra, & aliquam sanctificationem habet, praesertim, si verum est delere peccata venialia. Tertio: Absolutio ab excommunicatione dici potest quaedam legalis sanctificatio: nam excommunicatio, quaedam legalis macula esse videtur, non minus quam essent in veteri lege legales irregularitates, a quibus sacramenta vetera homines mundabant, vt D. Thom. in 4. loco citato. & Aug. lib. 2. de pecc. meri. c. 26. Quarto, per signum crucis, per manus impositionem, confertur catechumenis aliqua sanctificatio imperfecta, & tamen constat non esse sacramentum proprie vt loquimur, quamuis ab August. ibi vocetur sacramentum latissima significatione. Tandem addere possumus professionem, quae in religione fit, quae sacram habet significationem, & aliquam sanctificationem, quia per eam singulari modo dicatur homo cultui diuino.

Antiqua sacramenta significabant gratiam per exemplum dandam. *Dionys.* *August.*

Sacramenta esse veteribus nobiscum communia, non tamen gratiam.

In non sit sacramentum primatum.

Aqua lustralis. *Absolutio ab excommunicatione, &c.*

D. Thomae August.

Obiectio.

Responsio.

Dices, haec omnia, non esse sacramenta, vel quia tantum sunt dispositiones quaedam ad perfectam sanctificationem, vt hic dicit D. Th. art. 2. ad 3. vel quia tantum sunt ab Ecclesia instituta. Sed primum non obstat, nisi illa particula exclusiua, tamen, excluderet etiam significationem gratiae, de qua loquimur: nam etiam sacramenta vetera in ratione causa solum erant dispositiones quaedam imperfectae ad sanctificationem veram & perfectam: tamen, quia in ratione signi non solum hoc habebant, sed etiam significationem veram sanctificationis, ideo vera sacramenta fuere: & ideo S. Thom. in illa eadem solutione concludit, de ratione sacramenti esse, vt significet perfectionem sanctitatis humanae. Secundum etiam nihil obstat, quia, si res ab Ecclesia instituta haberet totum, quod est de ratione sacramenti, parum referret, quod a Christo, vel ab Ecclesia esset instituta: quia res non denominatur talis a causa agente, sed a ratione intrinseca constitutiuam rei, vnde cumque illam habeat. Quocirca, hinc potius sumi potest argumentum ad confirmandam conclusionem, quia si verum est, vt re vera est, quod Theologi docent, & infra quaestio. 64. tractandum est, non posse sacramentum verum institui, nisi a solo Deo, aut ex speciali commissione seu potestate eius, hoc ideo est, quia sacramentum esse debet signum gratiae conferendae: nam, quia solus Deus potest esse auctor gratiae, solus potest etiam huiusmodi verum signum instituire: ergo talis significatio est de ratione sacramenti: nam si sufficeret significatio cuiuslibet imperfectae sanctitatis, sicut potest Ecclesia

Cur solus Deus potest instituire.

clesia ceremoniam instituit, quae & conferant, & significant huiusmodi sanctitatem, ita posset sacramenta instituit. Vltimo argumentor ex proprietate nominis, sacramentum significat enim arcanum aliquod & latens mysterium, si autem solum externam sanctificationem, & imperfectam significaret, nihil magnum vel arcanum in se contineret: oportet ergo, ut aliquid internum, & spirituale, significet, & quia hoc nomen specialiter accommodatum est, ad significanda illa signa, quae ad nos pertinent, & ad nostram sanctitatem sunt aliquomodo instituta, ideo necesse est, ut ad perfectam sanctitatem hominis habitudinem dicant. Confirmatur tandem, quia sacramentum dicitur habitudinem ad sanctitatem vniocam, quae est sanctitas interna per gratiam: nam alia imperfecta & externa solum analogice meretur nomen sanctitatis: sed illa habitudo, quae communis esse potest omnibus sacramentis, non est nisi habitudo signi, ergo.

Confirm.

Obiect.

Dices: quomodo sacramenta vetera poterant esse signa gratiae, cum in illis per se, & ex vi sacramenti non daretur, gratia, & alioquin sacramentum esse debeat signum practicum, & demonstratiuum gratiae. Respondetur non esse de ratione sacramenti ut significet gratiam, quae in ipso datur: sed satis esse, ut significet gratiam dandam aliquo tempore: Quare non est necesse, ut sacramentum significet solum sanctitatem quam confert: potest enim conferre imperfectam sanctitatem, & significare perfectam: sicut nostra sacramenta, non solum significant gratiam, quam conferunt, sed etiam gloriam, quam promittunt. Quare non est etiam de ratione sacramenti ut sic, quod sit signum demonstratiuum gratiae praesentis, quamuis hoc conueniat nostris sacramentis: sed abstrahit secundum communem rationem sacramenti a signo demonstratiuo, & promissiuo, seu prognostico: & ita in sacramentis veteribus non dabatur, sed promittebatur gratia aliquando danda. Denique hinc sequitur, si practicum signum dicatur illud per quod, vel in quo actu datur gratia, non esse de ratione sacramenti ut sic, esse hoc modo signum practicum: si autem signum practicum dicatur illud, in quo exercendo, & conferendo aliquam sanctificationem externam, significatur gratia conferenda, & secundum illum modum quo conferenda est, vel tunc, vel postea, sic omne sacramentum dici posse signum tale, quia non significat gratiam secundum se, & absolute: sed cum ordine ad opus, seu per modum actualis sanctificationis.

Obiectio.

Responsio.

Transitus
mar. rub. i.
Et manna
excluduntur
a ratione sa-
cramenti.

Sed obicitur, quia etiam hic modus significandi communis esse potest aliquibus rebus, quae non sunt sacramenta, ut fuit transitus per mare rubrum, vel manducatio mannae. Respondetur primo huiusmodi iam esse exclusa a ratione sacramenti per vniuersaliorem quandam rationem, scilicet, quia non erant ceremoniae sacrae & stabiles, ac lege firmatae: nam sacramentum, licet de formali dicat significationem, tamen connotat vel requirit, ut talis significatio in tali materia funderetur, ut dictum est, & in sequenti sectione latius explicabitur, sicut scriptura eandem significationem habere potest, quam vox, tamen dicit illam in tali materia. Deinde dicitur, illa signa non conuulisse sanctificationem aliquam etiam imperfectam, atque adeo non significasse vnam sanctificationem perfectam, exercendo saltem imperfectam, & in hoc defecisse ab ea ratione signi practici. Et ex his satis responsum est ad fundamenta aliarum opinionum.

Atque hinc intelligitur primo, quomodo sacramenta noua & vetera generice, atque vniuoce conueniant in ratione sacramenti, specie autem differant: conueniunt enim, tum in ratione ceremoniae sacrae, tum in ratione signi gratiae, & sanctificationis nostrae, tum etiam in significanda Christi passione, quae est fons totius gratiae, tum denique in signifi-

Sacramenta
noua & ve-
terum quo
conueniant
& in quo
differant.

canda gloria, quae finis est huius sanctificationis. Quamuis enim necesse non sit haec omnia significata fuisse per singula sacramenta vetera, neque tam expresse & distincte, sicut per nostra, tamen non est dubium, quin sacramentis illis haec omnia significata fuerint, cum ordine ad nostram sanctificationem: & hoc satis est, ut in ratione sacramenti vniuoce conueniant. Differunt tamen primo: Quia diuerso ritu externo, & in diuersis actionibus instituta sunt, ut per se constat, & rationem reddidit Augustinus dicto lib. contra Faustum, & dicta Epist. 118. quia mutata lege, & statu rerum: quae significant de erant, oportuit etiam externum Dei cultum mutari. Vnde quo status legis gratiae perfectior est, eo oportuit actum sacramentorum esse etiam perfectiorem & faciliorem, & ad expressiorem significationem magis accommodatum. Vnde est secunda differentia iam supra tacta, quod omnia nostra sacramenta sunt demonstratiua gratiae praesentis, quae per ipsa datur, vetera autem sacramenta, ex se tantum erant signa promissiuia in futurum, ut colligi potest ex Concilio Florentino, & ex Augusti. Plal. 73. & ex supradictis. Quomodo autem quo ad hoc excipienda sint, circumcisio & sacramentum paruulorum in lege naturae, inferius quaest. 62. tractabitur. Tertio differunt: Quia nostra sacramenta clarius, & apertius significant, & ideo in eorum ritu adiunguntur verba, ut postea dicemus. Quarto, significatio gloriae, magis propria, & immediata est in nostris sacramentis, ut colligitur ex Dionys. cap. 5. de Eccles. Hierarch. vbi nostram Ecclesiam ponit mediam inter synagogam, & Ecclesiam triumphantem, quia in nostra datur gratia per sacramentum, & immediata significatur gloria, cuius ianua aperta iam est: & ideo ab hac nostra Ecclesia immediate fieri potest transitus ad illam triumphantem, at vero in lege veteri ex vi illius & sacramentorum eius, nec dabatur gratia, nec significabatur gloria, ut post illum statum immediate consequenda, & ideo Paulus ad Hebraeos 10. dicit, legem veterem fuisse ymbraem futurorum, nostram vero continere ipsam imaginem rerum, ut ibi notant Theodoret. & Teophil. qui in eandem sententiam refert Gregor. Nazianz. oratione de Paschate.

In quo dif-
ferant.

Florem.
Augusti

Dionys.

Theodor.
Theop.

Secundo intelligitur ex dictis, quomodo in eandem rationem sacramentum illa duo coniungantur, scilicet conferre, & significare sanctificationem, sunt enim haec duae rationes valde diuersae. Altera enim ad genus actionis, altera vero ad genus relationis pertinet, & ideo non videtur posse componere eandem rationem sacramenti. Dicendum vero est, alteram istarum rationum per se requiri ex parte materiae, seu rei ad significandum impositae, alteram vero, ex parte rationis formalis: nam ut sacramentum imponatur ad significandam gratiam, supponi, vel institui debet, ut sit ceremonia sacra, aliquam sanctificationem conferens, hoc ergo est, quasi materiale, quia est res, quae ad significandum imponitur, cuique adiungitur significatio, tanquam vltima ratio formalis constitutiua sacramenti.

Conferre &
significare
sanctificatio-
ne diuersae
esse ratio-
nes, alteram
vero forma-
lem.

Quo etiam fit, ut licet in re, quae est sacramentum, interdum primario intendatur significatio, & ex intentione agentis, tamen in executione immediata conferatur sacramentum ad aliquam sanctificationem conferendam, quia semper fit sacramentum per modum ceremoniae sacrae, & sacrae, & hoc est quasi materiale, quod significationi substat. Quapropter si sanctificatio propter quam conferendum instituitur sacramentum est perfecta, & per gratiam sanctificantem, tunc non est necesse, ut etiam ex intentione instituentis primario sit sacramentum institutum, propter significationem, sed propter effectiorem, seu donatiorem sancti-

Interdum si-
gnificatio in
intentione,
& sanctifi-
catio in ex-
ecutione prius
est.

in nostris
prius intentio
tum ar-
tium
sacramentum

sanctificationis, quia tunc huiusmodi finis videtur altior & perfectior, & ita potest esse magis intentus.

Obiectio.

Dices: Si ratio cause, seu conferendi sanctitatem nobilior est quam ratio significandi, cur hæc potius dicitur formaliter constituere rationem sacramenti, quam prior? Respondetur, aliam rationem esse reddendam si loquamur de sacramento, aliam vero si agamus de nostris sacramentis, loquendo enim in communi, habitudinem aliquam dicit ad sanctitatem perfectam, quæ habitudo, non est generalis, nec communis omnibus, nisi in ratione signi, & ideo hæc est, quæ formaliter constituit rationem sacramenti, & sub hæc communi ratione, non est nobilior ratio conferendi, quam significandi sanctitatem, quia sacramentum ut sic in ratione conferendi sanctitatem abstrahit à sanctitate perfecta, vel imperfecta, quia quodcumque horum sufficit ad rationem ceremonie sacræ aptæ, ut sit veluti materia ad alio rem significandam imposita, at vero in ratione signi, non abstrahit, sed determinatur ad perfectam sanctitatem, ut constituatur sacramentum in absoluta & perfecta ratione sacramenti. Si autem agamus de nostris sacramentis, quamuis in esse entis perfectior sit ratio cause, quam ratio signi respectu eiusdem sanctitatis, tamen, quia differentia futuræ sunt proportionata generibus, & sub generico conceptu sub ratione signi constituuntur: ideo in eadem latitudine speciem, & differentiam sortiuntur. Accedit etiam quod in modo suæ significationis includunt suam causalitatem, quia significant ut efficacia signa gratiæ, seu significant gratiam, ut à se conferendam, & ita in huiusmodi ratione signi quodammodo includitur tota perfectio causæ respectu eiusdem sanctitatis.

Responsio.

SECTIO III.

Utrum oporteat sacramentum signum esse sensibile ex institutione.

Explicuimus significationem sacramenti ex parte rei significatæ: reliquum est, ut ex parte rei significantis, & modi participandi significationem eam declarem. Non desuerunt autem hæretici, qui negauerunt omnia sacramenta esse sensibilia præsertim in lege gratiæ, quorum errorem commodius confutabimus in q. 61.

Sacramentum esse debere signum sensibile. August.

Dico ergo primo. Sacramentum debere esse signum sensibile & consequenter rem, quæ ad significandum imponitur, debere esse aliquomodo materiam, & sensibilem: ita docent omnes Theologi in 4. d. 1. & D. Tho. hic art. 4. cum August. 19. contr. Faust. c. 11. & aliis Patribus supra citatis, & statim referendis, & patet inductione in omnibus sacramentis legis veteris, & nouæ. ite ex definitione signi, quam tradit Aug. 2. de Doct. Christ. c. 1. Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire, quæ est definitio signi humani, seu hominum cognitioni accommodatis, nam humana cognitio à sensibus incipit, cum ergo dicitur sacramentum constitui in genere signi, intelligitur, de signo humano, atq; adeo de signo sensibili. Atque hinc sumitur prima congruentia, ob quam omnia sacramenta instituntur sensibilia; quia scilicet, homo ex sensibilibus ad intelligibilia contemplanda traducitur, & ideo valde utile fuit in ipso exteriori, ac sensibili cultu religionis, internam sanctificationem significari: ut homo ad illam capessendam, & intelligendam manu duceretur, sic Dionys. c. 1. de celesti Hierar. Nec enim (inquit) aliter fas erat infirmitati nostræ lucere diuinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum, quibus ad superiora ferremur opertum, & his, quæ nobis familiaria sunt, prouidentia paternâ naturæ mortalium sese accommodante, vestitum, & de Eccl.

Signum humanum quid sit.

i. Congruentia.

Dionys.

Hierarch. c. 1. Nos (inquit) visibilib. imaginibus ad diuinas intelligentias pro virium nostrarum modo conscendimus. Quam rationem late et prosequitur Chryl. Homil. 60. ad populū. & 83. in Marthēum, vbi habet illa verba, Si incorporeus esses, incorporea tibi dedisset ipse dona, nunc autē, quoniam cōiuncta est corpōri anima tua, sub sensibilib. tibi intelligibilia tradit, & eandem rationem tergit Damascenus lib. 4. de fide. cap. 10. & 14. & Aug. lib. super Epist. ad Galat. col. 9. vbi dicit, omnē sacramentū ad cōtemplationē veritatis esse referendū, & ad bonos mōrēs, atq; idem sumi potest ex eodē, conc. 1. in Psal. 33. vbi agens de Verbo diuino, q̄ est cibus angelorum, dicit oportuisse ipsum panē, & carnē fieri, ut ab homine capi posset. Quid et tergit Isidor. lib. de sum. bono. c. 17. Secunda congruentia: Quia sicut homines, naturali ratione ducti in vnum populū, vel republicā congregantur, ita per Christū, qui suauiter, ac sapienter omnia disposuit, in vnū Ecclesiæ corpus, visibile, & ad diuinum cultum ordinatum conueniunt, & ideo necesse fuit, signa aliqua sensibilia institui, quæ vniuerso corpōri ecclesiæ essent communia, ut totum hoc corpus, veluti in essentiali ritu colendi Deum conueniret. Hæc autem signa, eō sunt perfectiora, quō perfectiorem sanctitatem, vel conferunt, vel significant, quæ ratio sumpta est ex Augustino, 39. cōtra Faust. cap. 11. & sequentibus, & lib. de ver. relig. c. 17. & ex Chryl. Homil. 39. in Genes. vbi ad hanc rationē alludens, inquit, Quando Deus voluit peculiare sibi populū congregare, dedisse illi proprias, ac definitas ceremonias, quibus ipsum coleret, & propter eandem rationem Tertull. lib. de præscript. hæret. c. 20. agens de vnitatē ecclesiæ, inquit, Communionem pacis non alia ratione cōseruari posse, quam eiusdem sacramenti vna traditione, quod recte explicat, ac confirmat inferius, c. 40. Tertia: Quia cum homo consistat corpore, & anima, non satis est, ut corde credat, nisi etiam actibus corporis suam fidem profiteatur, ut Paulus significat ad Ro. 10. Et ideo necesse est ut actibus etiam corporis Deum colat, seseque Deo submittat. Item, quia, cum corpore, & animo Deum offendat, expedit, ut per sacramenta corporea, vim spiritualem habentia, curetur, & sanctificetur, quam rationem late prosequuntur Greg. Nazian. oratione de sancto baptis. mate, & Greg. Nis. oratione etiam de baptisimo, non longe ab initio, Compositus, (inquit) est homo, atq; idcirco cognata, similiaq; medicamenta ad curationem ei destinata sunt: similia habet Cyril. Alex. no. 2. in Ioan. c. 42. & Cyril. Hierosol. Carech. 3. & multa ad locupletandam hanc rationem possunt sumi ex Tertul. lib. de resurrectio. carnis. c. 19. & sequentibus.

Chryso.

Damasc. August.

i. Congruentia.

August. Chryso.

i. Congruentia.

Nazianza Nissen.

i. Congruentia Gregor.

August.

Obiectio.

Okam. Aliacus.

Quarta sumi potest ex Greg. lib. 6. in 1. Reg. c. 3. prope finem, his verbis, Oportuit, ut per ministerium hominum spiritualia dona nobis darentur, ut dum exterius sacramenta percipimus, interius diuina gratia repleamur. Et alia similes congruentiæ legi possunt in Augustino 3. de Doct. Christ. c. 9. qu. 33. in Numer. & 84. in Leuit. vbi aduertit, non esse visibilia sacramenta contemnenda, etiam si inuisibilis gratia prius comparata sit. Prædictæ vero rationes potissimum procedere videntur de sacramentis nouæ legis, tamen seruata proportione, accommodari possunt ad omnia sacramenta. Sed obiciunt quidam scholastici, conditionem hanc non esse de ratione sacramenti, ut sic, quia posset Deus rem spiritualem instituire, ad cuius præsentiam gratia daretur, verbi gratia, ad præsentiam actus voluntatis angelicæ, vel humanæ: ille ergo actus statim, ac heret de se gratiam significat, et inueniunt, seu cognoscentibus illum, esset ergo sacramentum non quidem sensibile, sed spirituale. Atque ita sentiunt Okam, Petrus de Aliaco, & alii in princip. 4. sententiarum. Et confirmant, quia contritio est materia sacramenti penitentia: & Cōtra, obiectio non

non est sensibilis, & character baptismi, confirmationis, vel ordinis, est res spiritualis, & tamen est sacramentum. *Responsio ad principalem objectionem.*

Sacramenta esse signa hominibus accommodata

Ad confirmationem responderetur. In sacramento tria distinguuntur. Res tantum, sacramentum tantum, res & sacramentum.

Res interior ut circumstantia exteriori sit quodammodo sensibilis.

Similitudo.

Sacramentum non esse signum naturale. August.

Obiectio.

August.

Hugo Victor.

Respondetur ad principalem objectionem, posse quidem Deum, imponere rem aliquam, seu actionem spirituales ad efficiendam, vel significandam gratiam, illud vero non esset signum humanum, sed potius angelicum; ac proinde, tale signum non esset sacramentum, prout nunc de sacramentis loquimur: sacramenta enim vocamus, quaedam signa hominibus accommodata, ut eis ut possint ad colendum Deum, corpore, & anima. Et ideo sub hac consideratione, necesse est, sacramentum esse rem aliquam, seu ceremoniam sensibilem. Ad confirmationem tria distinguuntur a Theologis in sacramentis noue legis, res tantum, sacramentum tantum, res & sacramentum simul. res tantum dicitur, quae significatur, & non significat, & haec esse potest omnino insensibilis, ut est gratia: sacramentum tantum dicitur, quod significat, & non significatur, & hoc est necesse esse sensibile propter rationes factas, nam de hoc praecipue hic loquimur: res, & sacramentum simul dicitur, id quod & significat, & significatur, & huiusmodi sunt omnia illa, quae in argumento numerantur, & quidem, quatenus res significatae sunt, nihil obstat quod sint res insensibiles, quia per sensibiles significantur, ut character per ablutionem, vel unctionem, contritio per confessionem, Christus per species panis & vini: quatenus vero haec sacramenta dicuntur, oportet, ut aliquomodo significant, atque adeo, ut fiant sensibiles saltem per aliud, atque hoc modo res per se insensibilis potest esse, aut pars sacramenti, aut res, & sacramentum simul, quatenus, ut coniuncta signo sensibili, aliquo modo manifestatur, atque hoc modo interior contritio sensibilis quodammodo fit per exteriora signa doloris, & compunctionis, & Christus videri dicitur per species panis, & vini, & quia videtur per modum cibi, ideo refectionem animae significat, & sic de aliis. Quo fit, ut in toto sacramento semper requiratur aliquod signum per se sensibile, ratione cuius totum sacramentum per se, & absolute sensibile fit, quamuis ad illius constitutionem, aliquid spirituale internum possit concurrere, quod non per se, sed per aliud sentiat, sicut homo absolute & per se sensibilis est, quamuis simul cum corpore, animo contet, qui spiritualis est, atque adeo per se insensibilis, licet per actiones corporis se prodatur, & aliquo modo sentiri faciat.

Dico secundo, Sacramentum non esse naturale signum, sed ex institutione, & impositione significans. Haec assertio sumitur ex D. Thom. artic. 5. & August. 2. de Doct. Christiana. c. 3. vbi significationem sacramentorum, significationem verborum comparat, quod vtrique est ex impositione, idem lib. 3. cap. 9. vbi dicit sacramentum esse signum diuinitus institutum. Et ratio est clara ex dictis, quia sacramentum est signum gratiae, quae vel in ipso datur, vel postea data fit, sed nulla res sensibilis ex natura sua habet hanc significationem, ut per se est manifestum, ergo oportet, ut illam habeat ex impositione, seu benedictione eius, qui gratiam possit dare, aut promittere, ergo ex diuina impositione, ut latius dicturi sumus infra, agentes de causa & institutione sacramentorum.

Sed obicit potest primo: Quia sacramenta significant praesentata, dicit. n. Aug. Epist. 23. Sacramenta, quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta quae si non haberent omnino sacramenta non essent, & similia habet lib. de Carechizad. rudi. c. 26. Vbi dicit explicandum esse catechumeno, quae sit res in sacramento recondita, cuius similitudinem gerit. Propter quod Hugo Victorinus, li. 1. de sacramen. par. 9. cap. 1. in definitione sacramenti ponit, ut

ex similitudine representet. Responderetur: Sicut dialectici dicunt, voces ita significare ad placitum, ut impositio ipsa rationalis sit, & quoad veri possit, obleruet proportionem aliquam, vel similitudinem inter signum & rem significatam: ita dicendum est, in sacramentalibus signis obseruatum esse: Quamuis enim signa haec voluntaria plerumque imponantur, nullo habito respectu ad ipsarum rerum similitudinem, & proportionem, sed ex mera voluntate imponentis, ut est vulgare exemplum de viridi ramo pendente, & proportione, sed ex mera voluntate imponentis, ut est vulgare exemplum de viridi ramo pendente, quaedam seruatur proportio, magisq; ostenditur sapientia instituentis, quando in huiusmodi signis similitudo aliqua, vel proportio seruatur, & ideo in institutione sacramentorum id semper obseruauit diuina prouidentia. Et hoc est quod August. dicto loco intendit: constat enim, solam illam analogam similitudinem, vel proportionem, quae in huiusmodi reb. inuenitur, verbi gratia, inter ablutionem corporis, & mundationem animae, & similes, non esse sufficiens, ut altera per alteram vere, & absolute significetur: & ideo necessaria est impositio, & hoc sensu dicimus, sacramenta ex impositione significare. Quoniam vero contingit, ut sequenti disputatione videbimus, humana verba, quae sunt signa ad placitum, ad sacramentalem significationem assumant, atque eleuari, ideo notanda est differentia inter ea, & res alias, seu actiones naturales, quod in his proportio illa, quae ad institutionem supponitur, intercedit, quae ex natura rei, inter actionem sacramentalem & effectum, ut inter ablutionem corporis, & animae: at vero verba seculata humana impositione, ex qua significant, nullam habent analogiam, vel proportionem, cum effectu sacramentali, ut ad illud significandum assumantur, quod notauit D. Thom. opusc. 22. cap. 24. & ideo in eiusmodi verbis supponenda est propria significatio ad placitum ex humana impositione, quae est veluti materialis respectu sacramentalis significationis, & inter has duas significationes consideranda est proportio, seu analogia, quae ad sacramenti institutionem supponitur, ut diximus.

Secundo obicit potest: Quia ex hac assertionem sequitur sacramenti formaliter esse ens rationis, quia significatio ad placitum tantum est relatio rationis. Propter hanc difficultatem nonnulli Theologi ex professo hic tractant, quid sit significare formaliter, & quam relationem importet, & similia, quae dialecticorum sunt propria. His ergo omisissis: Dicendum est, rationem signi, ex impositione significantis, propriae formaliter non consistere in relatione, neque reali, nec rationis. Primum patet, quia non habet reale fundamentum in re significata, extrinseca enim impositio nullam rem ponit in eo, quod ad significandum imponitur. Secundum patet, quia relatio rationis tamdiu est, quamdiu ab intellectu concipitur seu fingitur. Huiusmodi autem signum postquam impositum est, non pendet ex fictione, vel comparatione intellectus referentis vnum ad illud: sine illa enim, seu ante illam, exercet minus signi, excitando mentem, ut veniat in rei significatae cognitionem. Haec ergo ratio signi praesens oritur ex impositione, quae re ipsa facta est, quamuis nihil in re ponat physice, nisi denominationem extrinsecam, a reali actu prouenientem: moraliter vero, & quasi more humano loquendo, relinquatur in re imposita ad significandum,abilitas quaedam, seu aptitudo ad excitandum intellectum, ut rem aliam cognoscat, nam haec denominationes extrinsecae, quatenus manent in memoria, & existimatione hominum, multum valent ad huiusmodi actiones morales, & humanas: ut facile potest exemplis declarari, in potestate iurisdictionis, in gradu doctoratus: haec enim, & similia solum per quandam extrinsecam deputacionem, & denominationem sunt.

Dico tertio: Haec sacramenti impositio fieri de Sacramento bet

Responsio.

D. Thom.

Obiectio.

Responsio.

Significatio nem esse de nominatione extrinsecam.

Significatio nem esse de nominatione extrinsecam.

SECTIO IV.

Quenam definitio sacramenti ex praedictis omnibus colligatur.

Aliqui Theologi dixerunt, sacramentum non posse defini, quia non est vnum ens, sed aggregatum ex multis, aut ex ente reali, & rationis, in quam sententiam referuntur Scotus in 4. dist. 1. q. 2. Richard. art. 1. q. 2. & Maior q. 1. sed nec Scot. id dicit, neque alij authores in re possunt ab aliis dissentire, qui iudicant sacramentum posse absolute & simpliciter defini, eo modo quo habet esse, vt discipuli D. Thom. sentiunt. Ad hoc autem explicandum, alij necessarium existimant dicere solam significationem esse essentiam sacramenti, vt eius ratio sit per se vna, ac definibilis, quod significare visus est Scot. in d. q. 5. de secundo principali, sed quamuis fortasse quaestio sit de nomine, non censo sic esse loquendum. Nam sacramentum non est sola significatio, sed essentialiter includit rem significatam, sicut domus non est sola figura, sed res artificialis consistens ex tali materia cum tali figura: & nomen, aut verbum, non dicit solam significationem, sed vocem, aut figuram sic significantem: sic ergo sacramentum non dicit solam significationem, sed illam in tali materia, seu compositum ex tali re, & significatione, quae est veluti forma illud constituens. Quocirca quamuis sacramentum non sit tam per se vnum, sicut homo: & ideo defini non possit tam exacta definitione sicut defini solet substantia, nihilominus non est omnino vnum per accidens, seu per aggregationem, sed habet suum modum compositionis & unitatis formalis, ratione cuius sufficienter potest defini, seu describi. Nam in sacramento consideremus significationem, & rem significantem, illa duo coniunguntur per modum actus, & potentiae, si vero consideremus rem ipsam ad significandum impositam, quae interdum non est vna tantum, sed multae, adhuc in eis inuenire licet aliquem modum potentiae, & actus, seu aliquam certam habitudinem vel ordinem, in quo conueniunt ad componendum vnum sacramentum sub eadem ratione signi, atq; hoc modo componunt vnum aliquid per modum entis artificialis, ad hunc enim modum reperitur vnitas in exercitu, oratione, &c.

Alij sacramentum esse putant aggregatum ex multis.

Alij tantum significationem.

Sententia authoris.

Sacramentum dicit significationem in materia.

In sacramento inuenitur aliqua vnitas.

Haereticorum in definiendo sacramentum varij erroris.

Hoc ergo supposito varij traduntur definitiones, non solum a Catholicis, sed etiam ab haereticis, sed haereticorum mutant definitiones, & addunt vel tollunt particulas, quot ad suos errores tuendos, necessariae illis videntur, & ideo refutatis eorum erroribus prae illorum definitiones per se concidunt. Quapropter in eis referendis, vel refutandis immorari non oportet, sed de eare legi possunt authores citati, qui ex professo contra eos scripserunt: ex definitionibus vero, quas Catholici asserunt, duae videntur potiores, quae a nobis exponendae sunt.

Prima definitio est Magistri dist. 1. Sacramentum est inuisibilis gratiae visibilis forma, eiusdem gratiae similitudinem gerens, & causa existens. Quae sumpta est ex Hugone in summa sententiarum tract. 4. c. 1. & in eadem fere coincidit alia, quam plurib. verbis tradit idem Hugo lib. 1. de sacrament. par. 9. cap. 1. Sacramentum est materiale elementum sensibilibus representans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam. Cuius definitionis particulae omnes ex haecenus tractatis satis clare sunt, praeter illam, elementum sensibilibus representans, nomine n. elementi, non significatur aliquid quod corpus simplex, sed quodlibet sensibile corpus, in cuius vsu, vel consecratione sacramentum conficitur, & verbis, quae sunt forma sacramenti, tanquam materia supponitur: & ideo elementum dicitur, vt statim in Commentario artic. 4. & latius

1. Sacramentum est inuisibilis gratiae visibilis forma, eiusdem gratiae similitudinem gerens, & causa existens.

Defin. Hug.

B

in dis-

Sacramenti impositio debet fieri publicis, & stabili lege, quae duret pro statu aliquo, in quo homines ex diuina ordinatione talem modum colendi Deum proficiuntur. Haec assertio explicatur simul, & probatur inductione: Nam Circumcisio, & vetera sacramenta instituta fuerunt in ritum perpetuum, vt dicitur Genes. 17. Exod. 12. & sepe alias, id est, in ritum multo tempore duraturum, scilicet quamdiu status synagoga, ac veteris legis duraret: similiter sacramenta nouae legis instituta sunt, pro toto tempore legis gratiae, vtque ad consummationem saeculi, vt Marth. vltim. significatur. Ratio vero huius veritatis est, quia sacramenta, vt diximus, sunt quaedam ceremoniae, in quibus conueniunt omnes fideles, qui membra sunt eiusdem ecclesiae, vt sanctificentur, & iuxta Dei beneplacitum ipsam colant, atq; ita vnam ecclesiam, vnumque modum religionis constituunt, non quod in solo sacramentorum vsu hac vnitas consistat, sed quod ad illam necessarius sit, sicut ergo status religionis & ecclesiae est permanens, ac durabilis, ita etiam sacramenta habere debent permanentem institutionem. Et confirmatur, na signa ad placitum, quae ad communem vsum hominum instituantur communi lege, ac consuetudine stabili imponuntur, alioquin non censentur habere simpliciter talem significationem, ergo. Et confirmatur secundo: nam aliqua sunt signa diuina quae non possunt conuenienter excludi a ratione sacramentorum, nisi ob defectum huius conditionis, vt verba illa Christi Luc. 7. Remittuntur tibi peccata tua, illa enim significat internam sanctificationem Magdalene, & Ioan. 20. Cum Christus insufflauit, dicens, Accipite Spiritum sanctum, factum simul, & verbo significauit spirituale donum, quod Apostolis contulit, & tota illa actio exterior ad sanctificationem Apostolorum ordinata fuit, & tamen non fuit sacramentum, quia non fuit ceremonia, certa lege stabilita ad sanctificationem conferendam & significandam. Quod enim Cano dicit loco supra citato, Christum non contulisse gratiam illis verbis, Accipite Spiritum sanctum, & non sufficit ad rationem sacramenti excludendam, satis enim esset, quod gratiam significauerit, & praeterea falsum est, quia verba Christi fuerunt efficacia, & sicut alia miracula imperio suo fecit, ita & sanctificationem, vt in 1. tomo circa q. 1. 3. D. Thom. latius diximus. Aliter vero, inquit Soto, illam Christi actionem, non habuisse significationem ex institutione, sed naturalem tantum, & ideo non fuisse sacramentum. Quae responsio, eadem erit, cum doctrina a nobis tradita, si loquatur de institutione solenni, & lege stabili posita. Si autem omnem significationem ad placitum excludat etiam particularem, & pro illo tantum tempore, non videtur vera, quia Christus per sensibilem illum statum, significare voluit interiorum Spiritus sancti afflatum, quam significationem, veram, ac certam non habet similis status ex sola naturali proportione, seu analogia, ergo tunc habuit, eam significationem ex speciali Christi voluntate, in quo conuenit cum sacramentis: differt tamen, vt dixi in modo stabili, & fixae significationis, & ideo non habuit rationem sacramenti. Dices, quod res magis, vel minus duret, non variat eius rationem, ergo, quod signum sit lege stabili institutum, aut ad breue tempus, vel vnum actum, non variabit rationem signi, ergo nec rationem sacramenti. Respondetur hoc verum esse: si ratio signi tantum metaphysice consideretur, at vero si moraliter, & in ordine ad humanos vsus spectetur, sic valde diuersam rationem habet, nam vno modo accipitur tanquam res permanens, & religiosa ceremonia, alio autem modo, vt actio quaedam transiens: sub nomine autem & ratione sacramenti prior modo significatur, vt iam declaratum est.

Signa ad placitum ad communem vsum instituta stabilia sunt.

Signa non stabilia sacramenti rationem non obtinent.

Canon.

Soto.

Obiectio.

Responsio.

Franc. Suarez Tom. 3.



in disputatione sequenti dicturi sumus. Nec multum ab eadem definitione differet ea, quae habetur in Catechismo Pij V. Sacramentum est inuisibilis gratiae visibile signum, ad nostram iustificationem institutum: tamen haec definitio, ut ex verbis eius constat, non solum definit sacramentum, ut signum, sed etiam, ut causam gratiae. Vnde non conuenit sacramento ut sic, sed ut sacramento nouae legis: & hoc modo est satis apta, definitio, praesertim prout ultimis verbis proposita est, nam priores definitiones paulo sunt longiores, quam expediat, & particulas continent, vel obscuras, vel non omnino necessarias, qualis est illa, quod sacramentum significare debet ex similitudine, quae omnibus quidem sacramentis conuenit, quae de facto instituta sunt: & quibus non sit simpliciter necessaria, tamen ex quadam congruitate, & sapienter institutione, semper obseruatur, & ideo non oportet eam distincte in definitione explicare: quia eo modo, quo requisita est: in ipsa diuina institutione virtute continetur. Secunda est D. Thom. haec. Sacramentum est signum rei sacrae quae sumptit ex Aug. 10. de Ciui. Dei. e. 5. quamquam Aug. ibi generalius nomine sacramenti utatur, ut sacrificium etiam comprehendat, cui etiam definitionem illam accommodat: eadem vero definitio reperitur apud Hugonem supra, & Bernard. scdm. de Coena Domini, eamque multi ex scriptoribus supra citatis libenter amplectuntur propter illius breuitatem, tamen propter eandem causam non potuit non esse subobscura. Vnde, ut conuertatur cum definito nonnulla, vel explicare, vel subintelligere necesse est, & in primis D. Thom. addidit illam particulam, seu determinationem, rei sacrae, quatenus sanctificat homines, ut intelligeremus, non satis esse ad rationem sacramenti, ut significet quamcunque rem sacram, sed oportere ut significet hominis sanctificationem, quae fit per gratiam, & causas eius: de hac enim significatione D. Thom. loquitur. Rursus iuxta ea, quae diximus, subintelligendum est, hoc signum tale esse debere, ut aliquam homini sanctificationem conferat, nam ostensum est, hoc esse de ratione sacramenti. Vnde exponendo definitionem illam posset clarius dici, Sacramentum est signum sensibile ad sanctificationem aliquam conferendam, & veram animae sanctitatem significandam institutum. Vel (si more Aristotelico definire velimus) dicere possumus. Sacramentum est sacra, ac sensibilis ceremonia, homines aliquo modo sanctificans, & veram animae sanctitatem ex institutione significans. Quae definitiones, ex supradictis satis clarae sunt, & probari facile possunt, quia, & conueniunt omnibus sacramentis, & habet omnes particulas sufficientes ad excludenda omnia signa sacra, quae sacramenta non sunt, qualia sunt sacrificium, usus aquae benedictae & similia, de quibus, iam diximus. Porro praedicta definitio facile potest ad sacramenta nouae legis coarctari, addendo, huiusmodi sacramentum significare veram animae sanctitatem, quam conferat, seu quatenus ab ipso confertur, & ex parte rei ad significandum imposita potest addi, debere constare materia & forma, seu rebus, & verbis, de quo iam dicemus. Denique seruata proportione facile potest contrahi illa definitio, ad sacramenta veteris legis, addendo fuisse instituta ad conferendum legalei sanctitatem, per quam vera sanctitas per Christum conferenda significabatur: quae tamen definitio non videtur competere circumfisioni, quae antiquior fuit, quam sacramenta veteris legis, neque etiam sacramento legis naturae: sed in hoc inculcatur grauis difficultas infra tractanda, quae explicata facile erit, definitionem his etiam sacramentis accommodare: fuerunt enim illa quasi media inter sacramenta nouae legis, & propria sacramentalia legalia, quia nec conferebant gratiam propria virtute: vnde non significabant gratiam a se collatam, sicut nostra sacramenta: nec so-

D. Thom. D. Augusti.

Bern.

Propria definitio.

Quomodo praedicta definitio no- stris sacramentis aptetur.

lum significabant gratiam ut futura, seu promissam sed et indicabant praesentem, quae in ipsis dabatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

AD quartum, sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophum in lib. Priorum omnis effectus, sua causa signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti, quod sit signum alicuius rei sacrae, in quantum per eam homo sanctificatur, ut dictum est. Non ergo requiritur ad sacramentum, quod sit aliqua res sensibilis.

2. Praeterea. Sacramenta pertinent ad cultum vel regnum Dei. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei. Dicitur enim Ioan. 4. Spiritus est Deus & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Et Rom. 1. 4. Non est regnum Dei, esca & potus. Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramentum.

3. Praeterea, August. * dicit in li. de Libero arbitrio quod res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte vivere potest. Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humana (ut infra patebit) & ita sine eis homo recte vivere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Sed contra est, quod August. * dicit super Ioan. Tract. 20. id verbum ad elementum, & sit sacramentum. Et loquitur ibi, de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Respondeo dicendum, quod sapientia diuina vnicuique, res prosidet secundum suum modum, & propter hoc dicitur Sapient. 8. quod suauiter disponit omnia. Vnde & Matth. 25. dicitur, quod dedit vnicuique, secundum propriam virtutem. Est autem homini conaturalis, ut per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilem. Signum autem est per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Vnde cum res sacrae, quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritalia & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur, sicut etiam per similitudinem sensibilibus rerum in diuina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles: ut etiam Dionys. * probat in i. cap. Celest. Hierar.

Ad primum ergo dicendum, quod vnumquodque, praecipue denominatur & definitur secundum id quod conuenit ei primo & per se, non autem secundum id quod conuenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis, per se habet, quod ducat in cognitionem alterius quasi primo & per se homini innotescens, quia omnis nostra cognitio a sensu oritur: effectus autem intelligibiles non habent, quod possunt ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primo & principaliter dicuntur signa, quae sensibus offeruntur: sicut, ut dicitur in 2. de Doctrina Christiana, ubi dicit, quod signum est, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum, quaedam quae non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agetur.

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles, ut in sua natura considerantur non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei, sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

Ad tertium dicendum, quod Aug. ibi * loquitur de rebus sensibilibus, secundum quod sunt in sua natura, non autem in argum. secundum.

4. d. 1. q. 1. art. 1. q. 1. & art. 2. q. 1. & art. 3. cor. Et 4. contra c. 56. Ioan. 3. 21. cor 4.

Art. 2. huius quaest.

Lib. 1. c. 133. tom. 11.

Quaest. 611

Tract. 20. in Euang. Ibi post med. col. 9.

Cap. 2. in 1. mod. & si

Lib. 2. de Doctr. Christiana. circa ca. principia lib. tom. 3.

Quaest. 611 art. 6. ad 2.

1.oto circa id in argum. 3.